

et non ab ulla eorum in cœlo fixione venit. Quia animalia sunt, et quidem divina. Animo scilicet, et ratione, et mente prædita. Et quia sunt, vitæ, et actionis, ut reliqua animalia, participia. Quod apertissime Plato et Aristoteles docuere. Sese ergo movent. Et eo motu errare nequeunt. Et per suos motus regunt reliqua. Tum quia conditor eorum Deus, spiritus et ignis uti Hermes vocat, eum situm ordinemque et motum eis ab initio indidit. Et in posterum permisit, uti circulo revolverentur. A quo impulsu, et permissione, neque opus habent recedere, neque a Conditoris voluntate discedere. Hæ igitur, et plures, et potiores sapientissimorum hominum, causæ sunt quam ulla, Astronomorum infixio, cur stellæ eas quas diximus apparentias edant. Temere autem huc illata est maior vis, in maiore stella. Nihil enim ad rem facit. Tam enim minima, quam maxima, propria sibi habet, et animum, et vitam, et mentem, et actionem, et proporcionatum sibi vectorem spiritum. His nostris rationibus, non solum hæc prima astronomorum, sed et reliquæ omnes, quas afferunt, pessum eunt. Eadem enim opera, secunda eorum soluitur ratio, per quam aiunt. Stellæ iuxta polum Arcticum, uniformiter circa ipsum continue moveri, describendo circulos, in eadem semper et a polo, et a se invicem æquali manere distantia. Voluit enim Conditor ab initio eas ibi esse. Neque locum mutare umquam. Quia scilicet ita rerum expediret universitati. Et ipsæ rationali animo, et mente ab eo donatæ, non errante, motum suum eodem loco exercent perennem. Sed videntur Astronomi, astris observandis nimium intenti, idem passi, quod in Thalete ancilla risit sua. Qui ea quæ ante pedes essent, non animadvertisset. Videre Spartani, videre Thebani, videre Athenienses, videre Macedones, videreque Romani, ordines exercituum suorum, recta regula institutos. Qui quamvis ex hominibus constarent, quorum voluntates, et animi pavores sunt mutabiles, attamen singuli milites, a loco, in quo a Lochago, a Centurione suo erant ab initio locati, stando, incedendo, revolvendo, circumvoluendo, pugnando, non dimovebantur. Quid dico de hominibus, qui rationis sunt præditi? Quando videmus grues, quæ ratione imitamem habere videntur, dum per æra longum iter volant, ordinem ad amussim, et constituere, et servare, et restituere. Elephantorum, et Cervorum greges, ordinatim ducem sequuntur suum, Thygni in mari, et Pelamides et alia quædam piscium genera, ornatissime natant, et sua itinera peragunt. Quid igitur boni Astronomi dubitarunt, ne mundi ordo in Chaos reverteretur, si stellæ uti clavos in tabulam, cœlo non infigerent? Aut eas inanimas potius quam animatas cogitarent, et rationales, et intellectuales? Aut timuerunt, earum animos in flammis illis combustos iri, et vivere non posse? Et eis memoria excidit, et Pyrausta, et Salamandra? Fatuitates profecto sunt hæc, et non mathematicæ aut philosophicæ, vel observationes, vel argumentationes. Tertium experimentum, recentior quidam affert, vix quam vocant lacteam, quæ uti credunt, est infinita minutarum stellarum multitudo. Eam totum cœlum circumdare aiunt. Cuius motus regularis ab ortu in occasum, ad motum cœli efficitur. Ratione eadem nimirum, quia per se moveri, inquit ille, nequit. Et nos rationibus iisdem, stellæ illas, si stellæ sunt, quæ lacteam conficiunt, dicimus animis rationalibus, et intellectualibus, a Deo Conditore esse præditas, et spiritu vectore, in gyrum volui. Tam facili responso, invictum ut putat argumentum, eluimus. Is idem author, quarto experimento in idem nititur; quod scriptum sit a quodam Pervanæ habitatore. Prope polum Antarcticum nigrorem quandam, plerisque in locis cœli apparere ac si cœlum quodammodo esset perforatum. Quos putat rariores esse cœli partes: quæ simul cum aliis stellis ab ortu in occasum uniformiter ferantur. Quod sieri non posse existimat, nisi ii nigrores uti stellæ in cœlo sint infixi. Huic dicimus primo. Neque Americum Vespuccium, neque Andream Corsalium, neque alios nautas, qui diligentes res Antartici notarunt, ullam de his nigroribus fecisse mentionem. Sed sunt ibi, Astronomi omnes, farentur in cœlo, nebulosas stellæ esse quinque obscuras novem. Non est igitur mirum, si nigrores ii stellæ quoque obscuræ esse dicantur. Et iisdem animis suis et spiritibus sicuti et aliæ citcumferri. Quam aut rationem pro Achille suo producant est omnibus ridenda magis. Aiunt videri planetas, contrariis octavæ spheræ, moveri motibus. Non posse, aut corpus ullum idem numero, eodem tempore diversis motibus cieri, et